

ultra Tanarum, seu possident, vel ab aliquo detinetur eorum nomine, vel non eorum nomine, & de omni jure, & actionibus realibus, & personalibus, &c. sibi reservantes in prædictam medietatem jurisdictionem rerum vassallorum, & tenore, quo modo in antea &c. possidere debeat commune Alexandria, &c. & facere exinde secundum morem recti, & legitimi feudi, quidquid sibi utile fuerit sine contradictione prædictorum Marchionum, & eorum hæredum. Citra Tanarum mittent homines Alexandria nomine communis, & quos commune voluerit in fortia, & in castro, & villa de Occimiano ad faciendam guerram, & pacem Marchionibus Montisferrati, & generaliter omnibus hominibus, locis, castris, & civitatibus, quibus commune Alexandria guerram facere voluerit, vel fecerit, & semper mittent in ipsum castrum, & fortiam, & villam de Occimiano munitum, & scaritum commune Alexandriae quancumque, & quotiescumque requisiti fuerint a communi Alexandriae, videlicet a potestate, vel consulis, qui pro tempore fuerint vel eorum missi, & ipsi personæ cum hominibus suis facient deinceps vivam guerram Marchionibus Montisferrati, & generaliter, & specialiter omnibus personis villis, & oppidis, civitatibus, quibus commune Alexandriae guerram fecerit ad diem, & terminum, quem potestas, vel consules, qui pro tempore fuerint, eis præceperint, nec pacem, vel treguam, &c.

Præfati secundum formam prædictam investiverunt nomine recti, & legalis feudi, & pro indiviso de medietate earum rerum, & rationum, quas Marchio Montisferrati eis tenet, Dominicis exceptis, & de medietate villæ, & castri Pomarii, & jurisdictionis, & honoris, & castri, & villæ S. Salvatoris, & jurisdictionis, & honoris, & castri villæ Vignalis, & alterius castri, quæ Marchio tenet eis, Dominicis exceptis, &c. & hæc omnia promiserunt per stipulationem sub hypotheca bonorum suorum eidem Domino Vermo stipulanti nomine communis Alexandriae per omnia sic attendere, &c. ad hæc debent esse cives, & habitatores civitatis Alexandriae, & expendere pro civibus in fodro pro mille quingentis libris Papiensibus, & sic attendere, & observare promiserunt eidem Domino Vermo nomine, & ad partem communis Alexandriae dare nomine pœnæ 2000. marcharum argenti, & pro omnibus prædictis attendendis, & pro illa præstanda. Ubertus de Foro, Nicolaus de Foro, Ubertus Advocatus de Paciliano, Vermus de S. Georgio constituerunt se fidejussores quisque in solidum &c. Ad invicem infra scriptus Dominus Vermus Alexandriae Potestas pro isto feudo juravit, quod faciet commune Alexandriae sic attendere: & commune Alexandriae pro isto feudo juravit eis fidelitatem a quatuordecim annis ad septuaginta annos, salva fidelitate Anselmi, & Dalphini marchionum de Bosco, &c. Et de hac guerra non facient homines Alexandriae neque pacem, neque treguam cum Marchionibus Montisferrati, quin ponant istos Marchiones in eadem pace, vel tregua, & adjuvabunt eos bona fide ad recuperandum sua, & quasdam possessiones suas, quas Marchio Montis-

ferrati eis detinet. Item adjuvabunt istos Marchiones de omni guerra salvis sacramentis Astensium, & Januensium, & Cassinensium, & Vercellensium, & salvo Mediolano, & specialiter de guerra, quam Marchio Montisferrati inciperet super eos, nec exinde facient pacem, treguam, pactum, guerram recreutam absque istis Marchionibus, & non recipient homines eorum de Occimiano, de Samazza, & Mirabelle, & Vicoburono pro habitatoribus Alexandriae, & si recipient terram eorum, quam habent in prædictis locis, remaneat istis Marchionibus. Propterea commune Alexandriae debet dare istis Marchionibus duo sedimina vacua in partibus duabus Alexandriae ultra Tanarum, & non in Pozolasca. Actum in isto loco feliciter. Amen.

Infrascripti Dominus Anselmus, & Vermus Monachus, & Anselmus Camar, & Vermus, & Conradus fratres de Occimiano, &c. Interfuerunt &c.

20 *Præceptum Angeli Fontana de Tregua inter Bonifacium marchionem Montisferrati, & Alexandrinos, & Astenses.*

M C X C I X.

101

Anno Dominicæ Incarnationis MCXCIX. indi. II. die Dominico IV. kal. aprilis. In ripa Padi non longe a Ponte de Sturia infra scriptis testibus præsentibus. Cum Dominus Bonifacius marchio Montisferrati, & Gullielmus ejus filius, & plures de eorum curia, & pro eis ex una parte, & potestas, & credentia de Alexandria, & potestas, & credentia de Vercellis, & Berlamonte de la Piazza, & Vermus Gardinus, & Jacobus de la Curte, vel de Domina Roliata nomine potestatis, & credentiæ de Ast vice, & nomine communium earum civitatum ex altera parte juraverunt sub Gotefino Mainerio, & Guiffredo Tragrossello Ambaxiatoribus Mediolanensibus, & Angelo de Fontana, & Joanne de Bonacrana Placentinis Ambaxiatoribus, qui eos vice communis Mediolani, & communis Placentiæ receperunt standi præcepto, & præceptis communis Mediolani, & communis Placentiæ, & Rectorum earum civitatum, sive nuntiorum de omnibus discordiis, quæ inter ipsos patrem, & filium ex una parte, & prædictos cives ex altera parte vertebantur. Ipsi vero Ambaxiatores Mediolani, & Placentiæ colloquium ibi statuerunt. Ibi quoque colloquio in simul collecto præfato Marchione, & filio præsentibus, & dictis Ambaxiatoribus de Ast vice communis, & Uberto Fantino, & Ruffino de Bellono Alexandriae, & Jacobo vicecomite, & Alexio de Benivolo Vercellensibus Ambaxiatoribus, jam dictus Angelus parabola, & voluntate, & mandato prædictorum, &c. districte sicut potest injunxit sæpe dictis Marchioni, & filio &c. & præfatis Ambaxiatoribus de Ast, de Vercellis, atque de Alexandria vice ipsarum civitatum, &c. a modo ad octavam resurrectionis Domini proxime ad invicem firmam treguam in personis, & rebus teneant, & observent, & præfato Domino Bonifacio specialiter, ut det in virtute communis Mediolani, & communis Placentiæ, aut missis Castrum S. Salvatoris, & illud de Lugo,